

GAUDEAMUS IGITUR

1. Gaudeamus igitur,
Iuvenes dum sumus;
Post iucundam iuventutem,
Post molestam senectutem
Nos habebit humus!
2. Ubi sunt, qui ante nos
In mundo fuere?
Vadite ad superos,
Transite ad inferos,
Ubi iam? Fuere!
3. Vita nostra brevis est,
Brevi finietur,
Venit mors velociter,
Rapit nos atrociter,
Nemini parcetur.
4. Vivat Academia,
Vivant professores,
Vivat membrum quodlibet,
Vivant membra quaelibet,
Semper sint in flore!
5. Vivant omnes virgines
Faciles, formosae,
Vivant et mulieres,
Tenerae, amabiles,
Bonae, laboriosae!
6. Vivat et respublica
Et qui illam regit,
Vivat nostra civitas,
Maecenatum caritas,
Quae nos hic protegit!
7. Pereat tristitia,
Pereant osores,
Pereat diabolus,
Quivis antiburschius,
Atque irrisores!

BREVE REGNUM

1. Breve regnum erigitur,
Sublimatum deprimitur
Et depressum elabitur
Transmutato tempore.
2. Puerilem militiam,
Perargutam peritiam,
Regentium industriam,
Hanc eduxit in opere.
3. Cracoviensem filium,
Fulgentem velut lilium
Ac de numero milium
Cunctis praeferendum.
4. Octo dierum spatium
Hoc sustinet solatium,
Post hoc regis palatium
Plagis feriendum.
5. Namque regis electio
Fit studii neglectio
Ac desolatur lectio
Tota septimana.